

CONRADVS PRAESVL VRRDENSIS.



Conradus, Saltehouer dictus, pietate & doctrina suo tempore nulli secundus extitit. Unde Theologiæ Doctor creatus legendo, scribendo, & disputando omnibus innotuit. Hinc factum cum Verdensis sedes uacaret, ut in eius loci episcopum eligeretur. quam functionem magna diligentia obiuit. Cum autem plurimos libros scriberet, atque inter alios librum de Trinitate, in quo sacerdotum aliquot errores notarat apud pontificem accusatus, atque Romam citatus fuit. Itaque sua conscientia fretus comparuit, atque se se coram pontifice & cardinalium senatu excusauit. Itaque magna laude iterum suæ ecclesiæ restitutus, orando & pie uiuendo cæteris exemplo fuit. Erat is ecclesiæ negotijs contentus, atque ciuilia alijs administranda reliquit. tandem cum magna gloria suæ ecclesiæ præfuisset, anno millesimo quadringentesimo septimo uitam cum morte commutauit. Anon. Crantz.